



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 34. separatos intellectus alia extra se cognoscere, ad tex. com
113.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

accepti obiecti sui priuationem cognoscere; agentemque intellectum ab eo, qui est potentate, diuersum esse, velut substantiam a materia penitus absolutam atque a rationali anima separatam, quae alio loco vera non esse ostendimus.

DIGRESSIO XXXIV.

Separatos intellectus alia extra se cognoscere.

PRÆTER diuinum autem intellectum esse alium potentatis omnium expertem, vt inter Peripateticos dici possit & auditum quorum princeps separatos omnes intellectus puros actus esse voluit: absolute tamen non ita est, solusque Deus est purus actus, potestas omnis & admittionis expertis. Neque illud admittendum est, separatos omnes intellectus nihil extra se intelligere. Nam & caelestes orbis, quos vertunt, intelligere eos oportet: & finem, propter quem vertunt: ac praesertim primam causam propter quam tanquam bonum & expectandum agunt. Quin etiam primam causam supremo orbi mouendo praefecit Philosophus: illum igitur cognoscit: nec minus inferiora omnia (vniuersas saltem naturas) propter quorum bonum & conseruationem mouet.

Nobis verò certum est, non vniuersas eam modò, naturas, sed res quoque singulas cognoscere: planèque omnia, quaecumque sunt & fiunt, vel etiam mala & priuationes. Neque hoc testimonium solum sacra tradiderunt, sed certa quoque persuasit ratio. Etenim Deus causa est efficiens rerum omnium, vel etiam singularum: omnèque vt produxit, ita conseruat: est autem causa per intellectum & cognoscens. Deinde quia seipsum perfecte cognoscit, virtutem quoque cognoscit suam; eaque omnia, ad quae attingere potest. Omnibus item fines constituit suos, & illa in eos dirigit, omniaque optime administrat: quae sapientis, ne dum intelligentis, opera sunt. Tum verò intellectus noster potentate est ad omnia, vel etiam singula, intelligenda; diuinus igitur intellectus, qui omnis est potentatis expertusque, actu semper respectu omnium, quae intelligere potest, actu semper omnia intuetur. Denique vt Deus est intelligens, ita illius intellectum habere oportet ad quatuor sibi & conueniens obiectum: & si cuiusvis intellectum obiectum est omne Ens, multò magis omnium supremi & perfectissimi intellectus diuini. Neque Aristoteles dicit in tex. 51. libri 12. Metaph. melius esse quaedam non videre, ne diuinus intellectus vilescat. Omnis quippe cognitio quaedam est cognoscentis perfectio. Atque illud de voluntate verius, quam de intellectu diceretur: quoniam volitione ad res voluntas trahitur, similèque illis efficiuntur: at intellectu res, quae intelliguntur, in intelligentem transferuntur illique assimilantur. Itaque si vllum sit argumentum, Deum conficiet non cognoscere accipiendo ex rebus ipsis cognitionem, sed solam suam intueno essentiam eamque comprehendendo vt est Ens per essentiam, entitatemque omnem & perfectionem continet. Cui nihil entitatis aut perfectionis addit quidquid in rebus creatis continetur: sed potius detrahit, quia quod est Deus infinite & absque limite, & ideo sine imperfectione vlla; ipsum limitatè, finitè, & cum imperfectionibus multis adiunctis est res creata. Quare si creatae omnes entitates & per-

A fectiones sumantur; tum ea, quae sunt, tum ea, quae esse possunt; solaque finitè ac limitatione dempta, quae non perfectionem aut entitatem, sed imperfectionem & non Ens significat; atque ex illis omnibus vnum Ens simplicissimum colligatur, illud erit Deus. Quoniam verò vnum quodque ens vt est in se, ita est aptum cognosci, diuina essentia, vt entitatis, ita & cognoscibilitatis rationem omnem continet, tum vniuersè, tum singularitè; atque intellectui diuino, qui perspicacitatis infinitè cum sit, rationem omnem entitatis & cognoscibilitatis penetraat, praeter propriam deitatis rationem res quoque omnes distinctissimè representat. Atque etiam mala, quae obliquitates sunt à diuina regula, quatenus ab Idea boni, quae in Deo est, deficiunt per Ideam boni cognoscuntur.

Illud tamen intelligendum est, res singulas cognosci quidem à Deo per suam essentiam, at non absolute, verum per essentiam operantem & conseruantem, addito inquam diuinae voluntatis actu. Quoniam enim res singulae praeter essentiam addunt existentiam, siue actu, siue possibilem, & ideo essentia singularis euadit, quia extra suas causas produciuntur & existentiam accipiunt, si ad actum cognitionis essentiae, accedat actus voluntatis, quo determinet Deus producere aut conseruare, vel certè produci essentiam illam posse videat, cognoscuntur statim singularia omnia, quae sub illa essentia sunt aut esse possunt. Ad singularia namque productio illa terminatur. Ex eodemque voluntatis actu fit, vt quaedam actu existentia hoc aut alio tempore, alia vt possibilis cognoscantur: quod alia constituerit omnino producere hoc aut illo tempore, alia solum produci posse cognouerit. Primum igitur plures essentiarum plurimum idea coniunguntur, tum substantia, tum accidentium, quae simul in rebus singulis continentur; tum accedente illa voluntatis determinatione singularia omnia cognoscuntur.

Hæc per digressionem, licet importunè fortasse, dicere nos coegit Themistius, ne silentibus nobis ac dissimulantibus authoritas hominis cuiquam fucum faceret. Praesertim si Philoponum consentientem videret, dum in theoria iam indicata Deum non cognoscere malum, eo scilicet argumento, persuadere conatus est, quia si cognosceret, & faceret: quod enim nouit id facit. Quasi verò innumeraabilia possibilis non cognoscat, quae faciet nunquam. Cognitio quippe ad intellectum pertinet, effectio ad voluntatem. Et quidem est scientia visionis ac simplicis intelligentiae approbationis: de quibus non est hoc loco dicendum pluribus. Quare ad Philosophi verba reuertamur, veriorèque illorum interpretationem quaeramus.

COMMENTARIVS.

Simplicius igitur Philosophum arbitratum impartibilium quantitatis cognitionem cum cognitione impartibilium formarum comparare: vt priorè illam inferioris notae ostendat esse. Quod potentate permitta sit, dum rei est, cui priuatio adiungitur: vbi altera purus est & sincerus. Quare quod priora impartibilia cognoscit, imperfectius est, quia quod posteriora intelligit: quippe potestati permittunt. Et vt obscure videre non est absolute videre, neque

SSSS

omnino non videre: sed videre cum priuatione permista: Sic qui impartibile quantitatis intelligit, subobscure intelligit: nec solum vt priuationem intelligit, sed etiam vt formam; quia imperfecte intelligit; & ita, vt possit non intelligere. Qui vero immaterialem formam comprehendit, absolute intelligit; & ita, vt non possit non intelligere. Atque postrema illa verba (si vero alicui cause) de agente intellectu interpretatur, quem in superioribus quoque Philosophus appellauit causam, & esse actu & proprie separabilem docuit.

Ego vero simplicem magis opinor horum verborum sententiam esse: neque ad impartibilem formam referendam esse, que in solis impartibilis quantitatis insistat. Quare cum hac eo modo cognosci dixisset, quo priuatio ex ipsius habitu intelligitur; intellectum nostrum, qui ita operetur, adiungit potestate esse ad cognoscendum oportere, atque per habitum cognitum ex potestate traduci ad actum: Et vnum esse in ipso; vnum scilicet oppositorum, habitusque cognitionem, per quam ad alterius oppositi cognitionem deduci debet. Et vniuersis quocumque vnum oppositum ex altero cognoscendum est, intellectus partim erit actu, partim potestate: Actu cognitione imbutus vnius oppositi; & potestate ad cognitionem alterius, quam ex eo sibi comparabit. Perinde namque in omni ratiocinatione euenit, qua ex vno quopiam noto alterius ignoti cognitio colligitur. Quod si quis intellectus non ita se habeat, nec illi vnum insit contrarium ad cognoscendum alterum; profecto is seipsum cognoscit & semper est actu, quia semper est sibi presens, & intellectus, & intellectus: Et omnino a materia separabilis, immo & separatus. Cuiusmodi sunt intellectus abstracti, qui se ipsos semper intelligunt.

Priuationis cognitio ex habitu.

TEXTVS.

Εἰ τι οὐκ ἴδιον φάσκει, ἢ κατὰ μέρος, ἢ ὡσπρὶν ἢ κατὰ μέρος, ἢ ὅμοιον ἢ ἄλλοις πᾶσι. οὐδὲ νοῦς οὐ πᾶσι ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστι πᾶσι τὸ ἴδιον. ὁμοίως, ἢ ὡς τὸ κατὰ μέρος ἀλλ' ὡσπρὶν τὸ ὅμοιον ἢ ἴδιον ὁμοίως, εἰ δὲ ἀπὸ τῶν πᾶσι, ἢ μὴ, ἢ ὅμοιος ἀλλ'.

TEX. 6. Est autem dictio quidem aliquid de aliquo, velut affirmatio: Atque omnis vera aut falsa. Intellectus autem non omnis, sed qui ipse quid est, iuxta quid erat esse, verus. Et non aliquid de aliquo: ad quem admodum aspectus proprii verum. Si autem album homo aut non, non verus semper.

COMMENTARIVS CIV.

Agnoscunt omnes hoc loco differentiam aliquam contineri intellectiois simplicium & compositorum, secusque omnino veritatem in vtraque reperiri. Sed non eodem modo Philosophi orationem omnes deducunt. Themistius enim cum incepisset intellectum agentem & separatum ab eo intellectu distinguere, qui est potestate, vt in superiori commentario dictum est; eundem nunc sermonem videtur absoluere; atque alterum discrimen addere, quod non eodem mo-

Ado in vtro sit veritas. In intellectu namque separato non solum est veritas, vt in intellectu potestate; sed etiam ipse est veritas: Quoniam non solum sit verus, quod alia, sed quod se ipsum intelligit, habetque puram & simplicem veritatem, non oppositam fallitati, qualis est veritas intellectus potestate, que in affirmatione & negatione consistit, mistumque semper habet mendacium: quia si in affirmatione est veritas, in negatione mendacium erit. Quod si non componat, sed simpliciter consideret, non mentitur quidem, sed tamen nec semper assequitur. Itaque siue in simplicibus consistat, siue simplicia componat, omnino ab intellectu separato differt intellectus noster. **Q**ue Themistij explicatio duplici nomine minus probatur. Primum quod intellectum separatum non tam verum esse, quam veritatem ipsam de solo intellectu diuino vere dici potest, non item de ceteris in quibus intellectus & intellectio accidentarie sunt, non essentielles. Deinde non est hic locus agendi de intellectu separato, vbi de intellectu nostri intellectu atque obiecto differitur: neque vlla est illius mentio.

Quo nomine Simplicius quoque peccant, ad crimen iniquens demonstrati inter substantialem intellectum nostrum, hoc est agentem, & inter supremum: Est autem discrimen, quod intellectui nostro adiuncta est ratio. Sed mirum & quo modo Philosophi accipiat verba. Dictionem enim animae substantialem cognitionem simplicemque intellectioem interpretatur: illudque (aliquid de aliquo) complicationem significare ait animae ipsius actionis cum ipso conuoluto. Quippe agens intellectus actio rationi connexa est, neque indiuidua prorsus sed indiuidua simul & diuidua: quod permista rationi: quae simplex non est, sed aliud de alio dicit, simplicitatem suam remittit. Propterea additur (velut affirmatio.) Quoniam haec actio tum dictio vocatur, quatenus simplex & indiuidua, tum affirmatio, quatenus composita & diuidua. Et in Timaeum Proclus quoque intellectioem cum ratione simplicem quidem esse affirmat, vt intellectio est, transitiuam autem, quatenus ratio: quia non omnia simul, sed ab vno ad aliud transiunt intelligit. Ita extremorum nominibus cognitum naturam illam in media significare, quae neque intellectus est, neque ratio, sed & intellectus, & ratio, & dictio, & affirmatio. Quemadmodum enim si colorem flauum dixeris dissipare vitum, quatenus scilicet albo participat, non sua natura: ita & intellectus ob communionem cum ratione speciem affirmationis quandam praefert. Quod significasse videtur Philosophus, cum non affirmationem, sed velut affirmationem dixit. Neque negationem adiunxit, quoniam vt Parmenidis sententia in intellectibus ipsis non Ens considerari non debet, sic in summa animae substantia & actione, quae iuxta substantiam stat corporeisq. facultatibus non vrens simul met plena est, dum in seipsum conuersus essentiam suam contempletur intellectus, plane nullus non Entis locus: Quod ergo additur (atque omnis vera aut falsa) de affirmatione, non de dictione putant Simplicius dictum, intellectumque statim pro dictione nominatum fuisse. Intellectus enim partibilis & ad extra progrediens tum verus est tum falsus. At intellectus substantialis semper verus, nunquam falsus. Quoniam hic est ipse quid est iuxta quid

erat esse, hoc est rerum substantiam percipit iuxta ipsas substantiales formas, circa quas ver-
fatur. Neque falsus esse potest. Tum quia falsitas
in complicatione ac diuisione est, hæcque in diui-
sibilibus & compositis rebus consistunt, formæ au-
tem simplices sunt & impartibiles. Tum quia fal-
sum est, dum partim res attingitur, partim non
attingitur: quod autè simplex est, partes non habet
sed aut totum aut nullo modo cognoscitur.

Ceterum præterquam quod nulla est, vt diximus,
apud Philosophum intellectus separati, mentio,
nimia etiam verbis infertur vis dum dictio intel-
lectionem simplicem ille interpretatur. Nam et si ali-
bi *φάνης* simplicem vocem significet, vt in libro de
interpretatione, vbi oratio definitur esse vox signifi-
cans, cuius pars aliqua significat *ὡς φάνης, ἀλλ' οὐχ*
ὡς κατὰ φάνης ἢ ἀποφάνης, vt homo. Et rursus; No-
men igitur vel verbum *φάνης* ἔστι μόνον. & in nono
Metaph. libro tex. 22. *ὡς τὸ κατὰ φάνης ἢ φάνης*. non
est idem affirmatio & dictio. Hoc tamen loco, si
antithesis illa consideretur (*ἢ ἰδί φάνης*) & (*ἢ δὲ φάνης*)
manifestum fuerit duobus hinc orationis membris
duo diuersa & opposita contineri. Atque vt poste-
rior sententia est de simplicium intelligentia, ita
priorem esse de cōiuncta: vt in cōiuncta quidem,
qua de aliquo quidpiam dicitur, vt in affirmatione,
semper sit verum aut falsum; in simpliciautem ve-
rum duntaxat, non falsum. Atque hunc locum
interpretabitur etiam tex. 39. huic persimilis: vbi
cum *φάνης* & *ἀποφάνης* nominabit, affirmationem
& negationem interpretes omnes exponunt. Sed
& paucis verbis duplex apud Philosophum *φάνης*
obserues; Quod hoc, quod dico magnopere con-
firmabit. Alterum hoc loco: quod est *φάνης ἢ κατὰ*
φάνης, dicere aliquid de aliquo. Alterum mox
in tex. 28. *φάνης μόνον*, dicere solum: illud compo-
situm, hoc simplex; illud velut affirmatio, vt
nunc Philosophus loquitur; hoc velut sentire, vt
in vtroque dicitur loco. Et cum in posteriori dictio-
nem, quæ sola est & non alicuius de aliquo, sensui
similem dicat, quemadmodum in priori dixerat intel-
lectionem simplicem & non alicuius de aliquo;
perspicuum est simplicem quoque intellectionem
appellari dictionem. Denique cum apertè nunc
pronuntiat dictionem esse aliquid de aliquo velut
affirmationem; apertus est de composita dictione
sermo. Nam de simplici intellectu statim subiun-
git, priori composita dictioni opponens, cum non
esse aliquid de aliquo.

Quomodo igitur Simplicis intellectionem sim-
plicem dicat aliquid esse de aliquo? etsi enim ra-
tioni connectitur, alia tamen est intellectio sim-
plex, alia rationis compositio: neque vlla cogitari
potest actio, quæ vna & eadem tum simplex
sit tum composita; verum altera simplex est &
indiuia, altera composita diuiduaque.

Quod vero addit, in intellectibus non ens
considerandum non esse; neque vllum in summa ani-
mæ substantia & actione, quæ iuxta substantiam
stat, habere locum: vniuersè verum non est,
sed in solo Deo ac primo ente; quod vt est ens
per essentiam omnemque rationem entis conti-
net, sic nullum non enti entis vilius priuatio-
ni locum reliquit. Cætera omnia creata entia
quemadmodum limitata sunt & pars quædam
entis, ita entitatem quidem quandam significant,
sed alijs plurimis carent atque ex ente & non

ente composita sunt: immò cum exiguum enti-
tatem habeant & plurima careant, plus non enti-
tis, quàm entis, habent. Hoc tamen intellecti-
lia differunt à materialibus; quòd in illis non
ens negationem meram significat aliorum en-
tium, quæ ipsa non sunt non priuationem, qua
non sunt & esse possunt: At in his quoniam con-
tinetur materia, cuius inexhausta capacitas & po-
testas est ad omnia, priuatio quoque adest, qua
esse possunt ea, quæ non sunt. Ergò in Deo
nullus non enti locus, in cæteris intelligentijs
negationi, in materialibus & corporis priuationi
quoque. De sublanaribus nunc est sermo: nam
de cælesti natura & materia disputatio maior,
quàm quæ hoc loco deffiniri possit. Sed & quod
in immaterialibus dixit potestatem ac priuatio-
nem non esse, de substantia intelligas. Namque
ad operationem potestas plurima illiusque priua-
tio: & in superioribus dictum est non semel,
intellectum nostrum natura sua intelligendis re-
bus carere, potestatemque ad illa esse: neque se-
cus de cæteris intellectibus creatis existimandum
est. Ita in Deo negatio nulla vel priuatio, siue
essentiæ siue operationis, sed purissimus semper
& substantialis actus. In immaterialibus cæteris
negatio substantialis & plurima item accidentaria
priuatio operationis: in materialibus demum
priuatio quoque, tum substantialis formarum
& essentiarum, tum accidentaria operationum.

Sane Simplicius dum in immaterialibus omnibus
non ens non agnoscit, Platonicum accipit dogma,
rerum omnium intelligendarum formis instructum
atque exornatum natura sua intellectum esse;
Quod Peripaterico prorsus contrarium est, quo
antea positum est velut tabellam esse, in qua nihil
sit scriptum.

Ergò Philoponus aliam prorsus interpretatio-
nem cogitauit: partes omnes intellectus deinceps
distingui, intellectum simplicem & dianæam,
quæ compositorum est: intellectum potestate &
intellectum actu; intellectum actiuum & intel-
lectum theoreticum. In hoc autem contextu
partitionem prima explicari; atque intellectum
à dianæa separari, quod intellectus semper est
verus, dianæa & vera & falsa. Intellectus ve-
rum est *ὡς τὸ πᾶν κτλ*, id est, essenziale seu substan-
tiale; quòd sola scilicet rei essentia seu substan-
tia nititur: dianæa in compositione alicuiusque
attributione. Intellectus demum sensui similis
est, qui circa proprium versetur obiectum dian-
æa similis sensui circa ex accidenti sensilia occu-
pato: Quorum ille semper est verus, hic inter-
dum falsus.

Hactenus hæc verè quoquo modo dicuntur.
Sed accommodatè magis interpretaberis, quemad-
modum in commentario 106. significauimus,
Philosophum postquam duplicem intellectus
actionem posuisset, de singulis dicere voluisse,
& quidem de impartibilium intellectione dixisse
hactenus, nunc autem de compositione & diui-
sione dici. Itaque dictionem Auerroës & S. Tho-
mas intellectus attributionem scitè interpretan-
tur, qua aliquid dicit de aliquo. Hæc ipsa quip-
pe Philosophi verba (est autem dictio quidem
aliquid de aliquo. Duo autem de hac secunda
operatione proponit, quibus eam à prima di-
stinguit. Alterum, eam esse dictionem quæ

SSSS ij

Non ens
est in
materia
libus &
imma-
teriali-
bus re-
periant.

Diffin
quod
Aristo-
telis.

Dicere
duplex
Aristo-
telis.

Creata
omnia
ex ens
Et non
ense cõp-
sita esse.

068
separa-
potest-
on dicit
intelligi-
m, non
lectura
ne con-
n: qua
meade
simplicia
menac
us con-
id im-
que Tho-
robatur.
tam ve-
rellas
s in qu-
nt, non
id de m-
intelle-
est illud
ut, dif-
stantia-
em, &
ntel-
& quo
in enim
tem que
quid de
nimian-
agens
entium.
quod
aliud de
opterea
ctum
ua, tum
a. Et in
cum ra-
intelle-
o: qua
sentia
mur na-
intelle-
ano, &
ni cõ-
tatem
& intel-
in alie
alle vi-
n, sed
em ad-
m intel-
licin
ia lib-
ens sui
entiam
is non
is vera
uante
oro di-
artib-
falsus.
quam
ntra
quid